



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hiob

Brenz, Johannes

Haganoæ

VD16 B 3079

Cap. XVII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36516

ANNOT. IN HIOB

dam, ut sit sensus: non tantus horror me inuasisset, mihi liceret, Deum in ius uocare, quemadmodum solent homines, inter se controuersias agere, sic enim non timerem causse meae, propterea quod iustus (scilicet ex fide) innocens & integer fuerim: at cum Deo mihi negotium est, qui solus est potens, cuius potentia & maiestati, omnes creaturae cedunt, omnino igitur succumbendum est quodcumque tentauero.

SED ANNORVM NUMERVS etc.

Effugium sperarem, si cum homine mihi causa esset, nunc Deus negotium facebat: proinde nulla fuga liberabor, sed ut uideo, numerus annorum uitae meae finitus est, uenit tempus statutum: ut supra dixit: terminum posuisti, qui praeteriri non poterit: omnino mihi quauis immerito, moriendum est. Porro mors hoc loco, semita dicitur, quae non reuertitur: aufer enim uerbum uel Christum, mors perpetuus interitus uidetur: adde uerbum aut Christum, mors resurrectionis initium erit.

Mors non est reuersibilis semita.

CAP. XVII

Spiritus meus corruptus est, dies mei, concisi sunt, sepulchra mihi (supersunt) Etiam si nullae sycophantiae mecum sint, in amaritudinibus tamen habitat oculus meus.

Age, etiam si supponatur fideiussor
pro me, coram te, quis est, qui pro me sti-
pulabitur?

SPIRITVS MEVS CORRVPVS &c.

Rationem reddit Hiob, quare de uita desperauerit,
quia inquit, uideo omnes uires meas defecisse, spiritus
qui est balitus humanus, & quo uita corporea con-
stat, corruptus est, dies uitæ meæ finiti sunt: proinde
nulla nisi sepulchri spes, remanet, quod nos uernaculi
loquendi modo dicimus: optimum mihi est, frigida
terra, quod ut uulgare est, ita quoque uerissimū: nam
quid aliud est, homo de muliere natus, quam calami-
tatis mancipium & blasphemiarum lerna? et ut ma-
xime per Christum renatus sit, circumfert tamē sem-
per carnē, peccatis, blasphemijsq; Dei obnoxia: do-
minatur quidem in renato spiritus carni, nō tamen
per se in hac uita rebellio eius extinguitur, sentiūte
enim sancti, usq; adeo rebellantem carnē, ut clamēt,
nos miseros, quis liberabit nos a corpore isto, morti
obnoxio? Ab hac re non abludit Thracum, Trauso-
rumq; mos, qui in lucem æditos, lachrymis prosequū-
tur, mortuos cōiuijs ac tripudijs: atq; hæc quidē cō-
suetudo, si uitæ humane incōmoda respexeris, nunq̄
satis commendari potest, non abhorrens admodum a

Sepulchra
lata.

ANNOT. IN HIOB

Christianorū placitis, quos Paul. docet, Nolo, inqui-
ens, uos ignorare de dormientibus, ne doleatis quem
admodum & ceteri non habentes spem.

ETIAM SI NULLA EMECVM SYC.

Eadem sententia cū ea quæ est in priori capi-
tulo: quàmuis nulla iniquitas sit in manibus meis &
mordicus enim tenet Hiob, suā innocentiam, quā in
fide possidebat, quanquā omnis homo in seipsum
descendens, malorum liada reperiat.

AGE, ETIAM SI SVPPONATVR.

Fideiussor
Christus, Id est, ut maxime mihi à te concessum fuerit fidei-
sorem, & causæ patronū substituere, neminē tamen
ex omnibus creaturis inuenio, qui causam meā in hu-
meros suos recipiat, et pro me fideiubeat, unus enim
est fideiussor, unus intercessor, Dominus Iesus Chri-
stus, qui, si ex oculis fidei nostræ subductus fuerit, ne-
minē habemus, qui pro nobis stipuletur, nec ulla alia
creatura est, quæ constet in iudicio Dei, etiamsi cupi-
dissime pro nobis stipulari uellet. Hæc sententiā uetus
translatio sic legit (libera me, et pone me iuxta te, &
cuiusuis manus pugnet cōtra me) quæ ut maxime ab
Hebræa ueritate distat, non tamen impia est, nec
negos δ' οὐ νόστος exposita, habet enī hūc sensum, nūc
quidē importunus & incōstans uideor, propterea quod
Dominus à me recesserit, & grauiores sunt afflictio-
nes, quā ut ferri possint: sed age, libera me ò Domine
respice

respice me rursus tua misericordia, sicut nunc iudicio,
tunc uel multo grauiora feram, si enim Dominus me
cum, quis contra me? si Dominus protector meus fue-
rit, non timebo quid faciat mihi, uel homo, uel Sathā.

Cor eorum abscondisti ab intelligen-
tia, propterea non exaltabis eos.

Prædam adnunciat amicis, sed oculi
fillorum eius deficient.

COR EORVM ABSCOND. &c.

Adflctorum hic mos est, quod nullo ordine, sed
pro doloris dictatu loquantur. Ita & Hiob, ante con-
questus de iudicij grauitate nunc aduersarios suos ami-
cos perstringit, dicens: o Domine, abscondisti cor eo-
rum ab intelligentia, uidentes enim supplicij mei gra-
uitatem, iudicant me impium, & merito à te adfligi,
cum tamen nullum unquam circumuenerim, & ue-
re iustificatus sim fide: nec intelligunt amici sapienti-
am tuam, qua pios adflitionibus uisitas, non ut deli-
cia in eis punias, sed ut fidem eorum probes, propte-
rea non exaltabis eos, confunditur enim sapientia car-
nalis in conspectu Dei: perdam, inquit, sapientiam sa-
pientiam, & prudentiam astutorum dissipabo.

PRAEDAM ADNUNCIAT &c.

Id est, impius pollicetur magnifica, gloriatur de bo-
nis suis, sapientia, potentia & diuitijs: ostendat ea ami-
cis suis ueluti prædam, suo Marte partam, sed recto
Vana impio-
rum pollicite
tio.

ANNO. IN HIOB

domini iudicio, et ipse in necessitate nihil exhibet,
 filij eius in egestate & imprudentia uitam transigunt,
 hæc enim est mutatio dextræ excelsi, qui aufert a se
 uo iniquo talentum, & tradit ei qui habet decem ta-
 lenta: hoc iudiciũ uides in Saule, q̄ prædam adnunciu-
 uit amicis suis, p̄mittens sibi et hæredibus suis regnũ
 Israël, et cõtra Verbũ Dei p̄sequens Dauidam: p̄inde
 turpiter mortuus est, et filij eius regno orbati sunt.

Posuit me ad prouerbium populose,
 & abominatio coram ipsis sum.

Caligauit ab indignatione (Dei) oculus
 meus, & membra mea uniuersa sunt
 sicut umbra.

Stupebunt recti super hoc, & innocens
 aduersus hypocritam insurget.

Et tenebit iustus uiam suam, & purus
 manibus roborabitur fortitudine.

Veruntamen omnes (ad me) conuertimini,
 & uenite, & non inueniam, in-
 ter uos sapientem.

POSVIT ME AD PROVERBIUM

Non frustra amici mei augurantur, me non im-
 merito adfligi: uidetur enim dominus eorum sententiam
 adiuuare, quando me iudicio impiorũ uisitet, sic enim
 scribitur deut. 28. Erutis i parabolã cũctis gẽtibus: et
 ego nũc sum uulgi fabula, & prouerbũ oĩm uulgi

sum me, atq; adeo coram hoibus sum **רָעָה** quod
 Grecus interpretatur **ῥέλωσ**, id est, risus. Verius au-
 tem significat ignē infernalē, aut locū mortuis depu-
 tātū, hoc est, abominationē: abominātur enī me quot
 quot adcesserint, & diffugiūt, perinde ac Sathan, ut
 dicitur, crucē, tāto enim furore me adfligit Dominus,
 ut pro adflitione caligarint **καὶ περὶ ὀφθαλμοῦ**
 oculi mei, & uniuersa mea membra, facta sint ueluti
 umbra, quid inanius & tenuius umbra? sic membris
 meis pro furore Domini, nihil est tenuius.

STUPEBUNT RECTI SVPER HOC.

Quod Dominus tam crudeliter adfligit iustos, stu-
 pent pii, & admirantur, ut habes Hiere. 12. Habacuc
 & Psal. 72. Non quia iniquum iudicent Dominum,
 sed quod inscrutabilia eius iudicia admirentur & ado-
 rent. Tam quanquā externa facie uideantur pii & in-
 nocētes, iuste ac merito adfligi, propterea quod nō ui-
 uant moribus mundi, nunquam tamen cedūt hypocrī-
 tū, ut deficiant à pietate, & impietatem hypocrita-
 rum commendent: sed mordicus tenent uiam bonam,
 quam ex uerbo didicerunt, & citius stabiliuntur in fi-
 de per crucem, quā quod retrocedant: unde & Ter-
 tullianus ait: Exquisitor crudelitas gētium, aduersus
 Christianos, illecebra est, magis sectæ, plures effici-
 unt, quoties metimur à uobis, semen est sanguis Chri-
 stianorū. Ita & hoc loco, quo magis impij calumnias

ANNOT. IN HIOB

tur, Hiobem iusta pati, eo fortius in recto fidei iudicio perdurant. Parū retulisset si se omnia mala merito passus esset, sed magni refert in fidei confessione permanere, quæ est ad afflictionem non merito contigisse.

VERVNTAMEN OMNES (AD ME)

Agite uos sapientes uiri, uenite uel turmatim ad me, nullus tamen inter uos, tam sapiens uel potens reperitur, qui me possit ab hac fide dimouere: omnino perdurabo in asserenda innocentia mea, propterea quod fide purificatus sim: nō igitur timebo, quot, quāti, quā sapientes & eruditi, mihi resistent: ita & Christus pollicetur, Ego dabo, inquit, uobis os & sapientiam, cui non poterūt resistere omnes aduersarij. Hanc sententiam sic reddidit Græcus, ἄγετε ἄνθρωποι σοφὸν ἄνδρα ἐν τῷ κέντρῳ τῆς ἀληθείας hoc est, agite, huc uenite, nō enim inuenio inter uos uerū. Omnes scilicet estis mendaces, omnes imprudentes, alioqui enim uerius & prudētius causam uestrā tractaretis.

Dies mei transierūt, cogitationes meae dissolutæ sunt, adsumentes cor meum.

Noctem ad diem posuerunt, & lumen propinquum a facie tenebrarum (absortum est).

Si expectauero (nihilominus) infernus domus mea est, in tenebris strauilectum meum.

Corruptionem

Corruptionem uocaui patrem meū & matrem meam, & sororē meam uermē.

Et ubi nunc præstolatio mea? & præstolationem meam quis respiciet?

Ad infernum descendet, adeoq; simul in puluere quiescet.

DIES MEI TRANSIERVNT &c.

Redi Hiob ad recensendam iudicij grauitatem: & explicat, quid iudicium mortis operetur, nam cum cōscientia hāc uocē MORIERIS, siue DIES TVI TRANSIERVNT ET FINITI SVNT, iudicij mortis aduertit, mox labascunt genua, dissoluuntur cogitatio mala. nec, cor ab inquietudine abroditur, uires euanescūt, adeoq; omnis ordo turbatur, nox in diē uertitur, dies in noctē: turbata enim cōscientia, mortis iudicio, quo cuiq; diuerterit, turbā inuenit: quemadmodū si quis tristitia affectus icedat, quocunq; ierit, tristitiā repit: ita qui turbā secum circumfert, ubi ordinem & quietem inueniret? nox q̄ti sacra est, dies uero laboribus. Iam qui mortis horrore correptus est, nec in quiete noctis quiescit, nec in opere diei satagit, sed in nocte diem, in die noctem desyderat: breuiter, conturbato corde, omnia conturbantur. In his autem turbis, quo confugiendum est, ut liberemur? ad Dominū, qui est, propinquissima omnium tribulatorū anchora. iuxta Promissio. enim est Dominus his, q̄ tribulato sunt corde: & cor

ANNOY. IN HIOB

contritum & humiliatum Deus nō despiciet. Vbi uero Dominus inuenitur? aut quomodo ad eum peruenitur? Inuenitur in promissione, quæ est Christus Iesus, & peruenitur ad eum fide. Habens igitur promissionem, in eius fide perdura, et expecta donec Dominus sensum ac spiritum promissionis aperiat, ut Prophetata ait. Si moram fecerit, expecta illum, quia ueniens ueniet, & non tardabit. Sed ad hæc, quid Hiob dicit, audi quod sequitur.

Spiritus.

SI EXPECTAVERO &c.

Quid prodest, inquit, expectatio, quando oculos uideo positum infernum? etiamsi diu expecta uero, in tenebris tamen inferni cubile meum stratum est, hoc est, perij quocunq; me uertero, et uana est expectatio mea, nam solo mortis iudicio proposito, quæ uitam uidere posset? ablato cælo, quis aliud præter infernum expectaret? extincto lumine, non manent nisi tenebræ.

CORRUPTIONEM VOCAUI &c.

Nihil homini magis agnatū atq; corruptio.

Nihil nobis agnatius patre, matre et fratribus, p̄inde ut Hiob declarat, quàm planè obnoxius sit corruptio, patrem eam & matrem uocat, uermem autem cōsumentem, sororem suam. Multi gloriantur de generis nobilitate, & longa prosapie suæ stemmata n̄merant, sed hoc loco pulchre Hiob, generis humani nobilitatem adumbrat: parentes enim nostri sunt puluis, p̄uis,

puluis, putredo et corruptio: soror nostra est uermis,
quid igitur gloriamur?

VBINUNC EST PRAESTOLATIO.

Id est: quia putredo & corruptio parētes mei sunt,
frustra expecto liberationem: spe mea cōfundor, neq;
enim uisum uideo, qui possit expectationi meae satisfacere,
proinde nihil aliud reliquum est, quā ut mox
in profundum infernum, unā cum expectatione mea
decidam, & ad perditionem meam deducar. Porro
hoc Hiobis desperatio, in nostram doctrinam descri-
pta est, ut discamus, primum iudicium mortis, nemi-
nem posse ferre, citra Deum patrem: Deum, ut aperto
testimonio cognoscamus solum dominū esse bonum,
ceterum autem hominem mendacem: neq; est, ut no-
bis sanctorum infirmitate et casu blādiamur, sunt enī
proposita, non in temerariā nostri excusationem,
sed in doctrinam fidei & timoris Dei, & ut hinc, no-
strum ipsorum morbum agnoscamus, agnoscentes
autem morbum, remedia quæramus.

CAP. XVIII.

Respondens Bildad Suites, dicens.
Quando ponetis finem sermoni?
intelligatis, & postea loquamur?